

Ærumnamque augē , si vis , modo numine mentem
 Firma , ne nimio vieta labore cadat .
 His ego nil melius video , quod poscere possim ;
 Certatim hæc vobis poscite vos , socii .
 Æquas det menti vires , aptetque ferendo
 Dorsum oneri , inde malis urgeat , atque grave
 Aggeret impositi pondus , duplicitque laboris ,
 Ærumna ut , morbi si quid inest , perimat ;
 Hærentemque animo scabiem , neglectaque sanet
 Ulcera , virtutes gignat ut inumeras .
 Quarum se vi animus tandem tela omnia contra
 Obfirmat mire . Surgere quin humilem
 Paullatim supra terram , & terrestria suevit ,
 Adtollique levis jam magis atque magis ,
 Adtolli cœlo vacuum per inane columba
 Usque volans penna præpete ad aeriæ
 Secretam petræ latebram , arcanumque foramen
 Pulchrum illud Domini vulnus hians latere
 In lævo ; dulcem latebram , cunctosque paratum
 Perfugium ad casus , quo subit , & penitus
 Abscondit se se cara in præcordia tutus ,
 Jam tutus : terramque , & mare nigerum
 Despicit , incertasque vices , & inania ridet
 Vota hominum , & curas , & studia , & seriem
 Hanc vitæ instabilis , sursum conversa , deorsum
 Quæ se perpetuo turbine circumagit ,
 Non cœcæ ad nutum fortunæ , at vertier ille
 Jussit ut invicto numine Cœlipotens :
 Cui se jam tota quum junxit mente , nec optat
 Rerum quidquam animus , nec timet , incipiens
 Non tam ferre suos , quam non sentire labores :
 Jamque adeo dulci dulcior ambrosia
 Fit dolor , & cupide mens optat quidquid acerbum est ,
 Jam nec acerbum ; id enim nectare spargit Amor .